



Disputatio juridica de jurisdictione

<https://hdl.handle.net/1874/341623>

- 74 Rue Froehling
82 m 83

DISPUTATIO JURIDICA,
D E
IVRIS DICTIONE.

QUAM

Divino aspirante numine

S U B P R E S I D I O

Viri Clarissimi,

D. ANTONII MATTHÆI, Juris An-
tecessoris Primarii, In illustri Academiâ
Ultrajectinâ.

Publicè defendet

GEORGIUS RIPPERDA Zutphaniensis.

Ad diem 2. Iulii horâ locoque solitus.



VLTRAIECTI,

Ex Officinâ JOHANNIS à WAESBERE,
Anno M.D.C.LII.

CLARISSIMO, VIRO,
ANTONIO MAT-
THÆO Iuris Utrius-
que Doctori, ejusdem-
que Facultatis in Illustri
Ultrajectinâ Academiâ
Professori primario.

Hacce offert

GEORG. RIPPERDA

Aut & Resp.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
JURISDICTIONE.

THE S I.



Jurisdictio cum sit potestatis verbum , ut
cum dicitur neminem jus dicere posse su-
pra jurisdictionem tuam l. ult. ff. de jurisd.
item cuius ea de re jurisdictio est ? l. 5. D.
de re jud. & potestas non tantum cognoscendi & judicandi , sed & judicatum exe-
quendi .

II.

Potestas hæc exequendi vocatur in l. ult. D. de offic. ei : coer-
citio , quod sententia magistratus parere reculans coerce-
tur , captione nempe pignorum & distractione , non tamen
omnis in coercendo posita , cum multa etiam expediantur per
mandatum & jussum .

III.

Jurisdictio cum sit nomen generis in duas dividitur spe-
cies civilem quæ specialiter appellatur jurisdictio , & crimi-
nalem seu imperium merum Sap. Gentil. l. 1. de Jurisd. c. 2.
Gav. l. 2. de Jurisd. n. 7. quas duas species sub ea contineri , ap-
pellationeque jurisdictionis in genere sumptæ complecti ,
quamvis quidam negarunt , evidenter tamen demonstratur
ex l. 1. D. de offic. ejus ubi diserte pro eadem ponitur judicii
publici exercitatio , quæ meri imperii , & jurisdictio .

IV.

Civilis est potestas cognoscendi & judicandi causas civi-
les , conjuncta cum eadem judicati exequendi potestate , po-
testas hæc de causis cognoscendi civilibus cur sola acceperit
nomen jurisdictionis , ejus rei ratio reddi potest hæc , quod
olim magistratus urbani , penes quos dicebatur esse juridi-
ctio ,

A

dictio ,

dictio, tantum de causis cognoscabant civilibus, potestate cognoscendi de criminibus, præfertim de capite civis Romani relictâ populo.

V.

Non additur tertia, sive mixtum imperium, quia hæc se-
re idem quod jurisdictio, illique sic cohæret, ut ab ea non
divellatur, cum sit adjunctum inseparabile, recteque Acur-
sius aliqui interpretes, quicquid est jurisdictionis idem &
mixti imperii, & viceversa.

VI.

Definiturque modica coercitio quâ magistratus jurisdictionem suam tuetur atque explicat. *L. ult. D. de offic. et*: Dicitur modica oppositive ad animadversionem gravem, in qua consistit imperium merum.

VII.

Cur dicatur mixtum imperium, non etiam jurisdictio mi-
xta, cum tamen ratione personæ quæ eam exercet, individuo
nexus sint conjunctæ, quid enim jurisdictio absque modica
coercitione? *L. 3. D. de jurisd. l. 1. S. ult. D. de off. et*: cui mand-
ratio reddi potest talis, cum civilium causarum cognitio pro-
prium haberet nomen, appellareturque jurisdictio, crimi-
nalium vero non item, ac certum doctrinæ commodioris gra-
tiâ fabricati essent autores juris nomen imperii meri, ne-
quis hac oppositione deceptus, jurisdictionem omni impe-
riio putaret esse vacuam, visum fuit & mixtum imperium ap-
pellare, quod ita jurisdictioni cohæreret atque mixtum esset
ut ab ea non posset separari.

VIII.

Jurisdictio hæc vel est propria, vel mandata, vel proroga-
ta, propriam & suo jure habent magistratus, utpote quibus
ea potestas principaliter concessa, *L. 6. D. b. iii. juris* etenim
dicendi reddendique causa, magistratus à populo sunt con-
stituti *L. 2. S. post originem 13. de origine jur.* eamque & habere
dicuntur qui extra ordinem juris publice dicendi causa con-
stituantur, ut præfectus vigilum & annones, *L. 3. S. 1. de offic.*
pref.

pref. vigil. vigil. huic refer & delegatos à principe item Magistratus municipales, quorum jurisdictio intra territorium cuiusque continetur municipii. l. 3. D. de tut. datur.

X.

Mandata est delegata ab iis qui eam obtinent jure proprio, iisque qui delegata juris: dictione utuntur, nihil proprium habere intelliguntur, sed ejus qui mandavit jurisdictione uti, unde nec legatus proconsulis, quia non est magistratus hanc habet jurisdictionem.

X.

Nemo itaque jurisdictionem propriam à se abdicatam transferre potest in alium, neque gratis neque pretio, tum quia conferre jurisdictionem ipsam est facere magistratum, quod cum à jure pendeat majestatis, est solius populi vel principis, penes quem summa rerum, aut cui ipse concessit, tam quia magistratum delatum detrectare non licet, l. 12. D. de munere. multo minus suscepit deponere.

XI.

Refutandus & hic error illorum, qui asseverant etiam eum cui mandata est jurisdictio magistratum esse, non enim quævis juridicendi potestas facit magistratum, toto namque cœlo differunt, fungi vice & partibus alterius & suis.

XII.

Mandare jurisdictionem tantum possunt ii, qui eam habent suo jure non beneficio alterius quomodo enim quis transferet quod est alienum, neque enim plus juris quicquam transferre potest in alium quam ipse habet. *l. nemo plus: D. de neg. juris*, nec quicquam facit ad rem quod usus transferatur, ac proinde hic possit mandari, is enim cum in facto consistat, atque adeo personalis sit, ob electam industriam certæ personæ, personam ejus qui utitur non egreditur.

XIII.

Sed nec cuivis mandari potest, etiam ab eo qui maximi habeat propriam & suo jure cum eadem hic sit ratio jurisdictionis mandande quæ judicis dandi, ut qui idonei judices

non habentur, iis nec jurisdictio recte mandetur, quo in numero sunt perpetuo furore laborans, quibus foro est interdictum, impubes, senatu motus, & similes. *l. cum pratar. 12. s. 2. D. de judic.*

XIV.

Nec omnia quæ sunt jurisdictio in genere sumptę mandari possunt, quæ vero illa sint ex hac potest collegi divisione papiniani, quæ exstat in *l. 1. in pr. D. de off.* ejus quædam magistratui competunt jure magistratus, quædam ei specialiter tribuuntur mandari tantum possunt quæ competitur jure magistratus, nisi quid ex eo genere specialiter jure exceptum sit, seu quæcunque sunt jurisdictio contentioſæ, alia ratio jurisdictio voluntariae.

XV.

Mandata recte jurisdictione sequitur ut mandata transeat, quatenus autem mandata transeat, ex ipso estimandum est mandato, quemadmodum & in cæteris omnibus rebus fines mandati custodiendos esse constat. *l. folet 16. & l. seq. D. b. tit. l. 1. & 2. de judic.*

XVI.

Prorogata nihil est aliud, quam extra fines suos consensu privatorum producta, hanc ergo privati quodammodo tribuunt, jurisdictio siquidem suis terminis est circumscripta, extra quas eam sine prorogatione exercere non liceat. *l. ult. D. b. tit. l. 1. & 2. de judic.*

XVII.

Prorogationi isti non est locus nisi inter eos qui communimperio, exempli gratia uni eidemque principi subjecti sunt, plane enim ridiculum erit, si subditus Regis Hispaniz conetur prorogare jurisdictioñem magistratus Belgici ejusdem & sensus est illud magistratum unum debere exequi sententiam alterius.

XVIII.

Finitur jurisdictio *l.* quidem morte ejus cui mandata est: ut & morte ejus qui mandavit. *l. 6. D. b. tit.* excipitur si ante mor-

mortem mandantis jam res geri cœpta sit; 11. revocatione,
§. item si id insit. de mand. l. 6. §. 1. D. de off. pro conf. ubi tan-
quam speciale notatur quod Proconsul non nisi consulto
Principe jurisdictionem legato mandatam revocare queat,
alioquin etiam postquam res geri cœpta est, adeoque post li-
tem quoque contestatam posse revocari existimat interpre-
tes, vel ab eo ipso quo mandavit, vel ab ejus successore, cum
nullum hic aut delegati aut partium verletur præjudicium,
in quo videri potest dissimilitudo delegationis juridictio-
nis & mandati procuratorii.

XIX.

3. Solo temporis lapsu, si nempe ad certum tempus ali-
cui mandata sit jurisdictio, sicut ea quæ ad certam causam de-
legata est, expirat sine negotio imposito. 4. Præscriptione,
quod tamen fere tantum de toparchis, sive magistratibus qui
simil sunt quasi territorii Domini accipiendo, jus namque
illud hoie computatur in bonis & facultatibus nostris.

XX.

Criminalis seu imperium merum à potiori sui parte est
potestas gladii omnisque animadversionis in facinerosos. l. 3.
de reg. jur. sub potestate gladii, quia tunc fere temporis solo
gladio vita adimebatur. l. 8. §. 1. D. de pæn. comprehendere &
reliquos vitæ adimendæ modos. Hinc illud imperatoris A-
lexandri severi. Honores juris gladii nunquam patiar ven-
di necesse est qui emit vendat, ego non patiar mercatores
potestatum, quos si patiar damnare non possum, erubesco
enim punire illum qui emit. & vendit.

XXI.

Dicitur merum in comparatione cum jurisdictione, cum
ea siquidem si conferatur, est vere merum, quippe purum &
solum, cum jurisdictione non mixtum, ut merum jus gen-
tium quod non est conjunctum & mixtum cum præce-
ptis civilibus. l. bono in pr. D. depos. mera conditio in dando,
quæ nulla ex parte in faciendo est, mera conditio in faciendo

quaꝝ nihil habet dandi. l. cum servus 82. s. sed nos neque de con-
dit. & demonst. mera donatio l. e Aquil. 27. de donat. id est pura
& simplex, & similia.

XXII.

Exercitio hujus imperii ad mortuos quoque extenditur,
idque tribus modis, pœnam statuendo vel in nomen & insi-
gnia, cum memoria mortui damnatur, puta statuas ipsorum,
vel in corpora, vel in liberos, pœnæque rationem habet qua-
tenus exemplo utile, pœnæ namque irrogandæ duplex est
caula, coercitio delinquentis & perterrefactio aliorum.

XXIII.

Sequiturque hæc pœna etiamsi ante mortem non sit in-
choata, reum majestatis & repetundarum, possuntque tales
damnari tanquam si viverent, publicatis bonis erit pœnæque et-
iam liberis, ut ne famæ liberorum parcatur idque hac ratio-
ne quod in iis metuantur paterni sceleris exemplum quamvis
custodia potius & medicina sceleratorum liberis effet adhi-
benda quam pœna.

XXIV.

Extenditur & ad bruta, imo res ipsas anima carentes, ut
patet ex facto Romanorum, qui ad delenda vestigia & me-
moriā sceleris dominorum & domos everterunt, & sic
quoque animalia puniuntur non principaliter & direcťe, sive
formaliter, sed tantum materialiter, ratione ipsius facti, quo-
niam in bestias proprie non cadit delictum, ut cum bestiæ
cum parricidis culeo insuuntur, cum respectu bestiarum id
vere pœna non sit, sed usus tantum dominij humani in be-
stias.

XXV.

Quod si quando ipsa animalia principaliter puniri videan-
tur, ut videre est. *Levit. 20. Exod. 21.* nec id tamen ad pœnam
earum fieri sciendum, sed potius ab memoriam facinoris ab
iis perpetrati, ne oculos hominum istarum bestiarum con-
spectus offendat.

Impe-

XXVI.

Imperium hoc cum tantum competit speciali lege vel
SCro. non potest mandari. l. 1. & ult. D. de off ei cui mand. est
Iurisd. exceptio est in eo qui necessario abesse cogitur, addunt
quidam & recte, calum infirmitatis seu inaletudinis, tum
ob expressam constitutionem legum, tum ob similitudinem
rationis cum in eo ut recte Vlp. vigor animi & prudentia re-
quiratur, quam inaletudine non nihil impediri, apud omnes
est certissimum, cum corruptis & debilitatis organis, & ipsam
facultatem quæ illis utitur, suo modo affligi necesse sit, mo-
dus enim agendi in re qualibet sequitur modum existendi,
hic autem ab eo quo existit anima extra corpus est diversissi-
mus non mirum itaque si diversus quoque modus conse-
quatur.

XXVII.

Hujus imperii ut est damnare ita & absolvere, cum præ-
stet nocentem absolvere quam innocentem damnare idque
maxime in re dubia inter homines valere debet. Hinc san-
& cissime Chrys. justius injustum juste evadere, quam justum
injuste perire, reus etenim etsi evaderit iterum potest peri-
re innocens autem si semel perierit, jam non potest revo-
cati.

F I N I S.

HONORI

Nobilissimi ac infrequentis exempli

D. RESPONDENTIS.

Herculis ostentat mundo sine laude co-
thurnos

Qui jaclat pro avos non meritumque suum.

Res est magna bonis natum parentibus esse:

Altera felicitas si bonus ipse cluas.

Hoc proprio docet exemplo Prænobilis hicce.

Virtute extollens nobile stemma suum.

Certat in hoc animo pietas, doctrina, genuf-
que,

Et velut ex auro splendida gemma, micat.

Amoris erga imbecilli venâ hoc pagi
næ supplementum addidit.

I. L.